Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2655
Quelle:
Copyright:

ad *Dom. 25. post Pentecosten.* Sermo I. incipit: *Cum appropinquaret ihesus Jerosolimam &c. M'. XXI. Tempus quod hodie incipit et durat usque ad natiuitatem domini* &c. De Evangelio *Dom. 25. post Pent.* in fine breviter notatur, legi illud bis in anno, hac scilicet *Dom.* et *Dom. 4. Quadrag.* Id, quod etiam in *Missalibus* ante *Tridentinam* restitutionem impressis observes. Repetitionis rationem reddit Noster, quia in eo Evang. et dicitur: *Erat autem proximum Pascha*, et: *Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.* Autor ergo *Antonius* O. P. Vide *Cod.* DCXCIV.

II. *fol.* 98. Absque titulo Opusculum *Asceticum* in illud: *Misit rex Saul apparitores, ut caperent David.* I. *Reg.* 19. *Saul* diabolus est, *David* peccator, *Apparitorum* officio funguntur septem Peccata vulgo capitalia. Ad ludum equestrem induci te putes, ita Αγωναεχης noster arenam ornat. En *Superbiam, que sedet super dromedarium armata armis aureis ducens super galeam pauonem in clipeo aquilam in tunica leonem in manu gladium latum.* Et ita Apparitores ceteri. Sed Deus totidem iis Virtutes objicit. Dabo Castitatem, *que procedit contra luxuriam et sedet in vnicorni et habet in galea sertum ex lilijs candidis croceis viridis et ducit in clipeo annulum depictum in tunica lupum* &c. *Apparitor* tertius e *Cod.* deperiit.

III. *fol.* 106. Legenda brevis de S. *Udalrico* Episcopo *Augustano.* Incipit: *Legitur in legenda beati Udal. quod fuit ortus de stirpe comitum Dilingensium nomen patris Hubald matris vero Diperga ablactatus etiam fuit cum esset ebdomadarum XII.* &c. Videtur excerpta ex prolixiore illa, quam fistunt Hagiographi *Antverp.* ad *diem 4. Jul.* p. 97. post *Surium* et *Mabillon.* sed ultima duo Miracula addita sunt ex aliis Mss. quae pariter Viris illis ignota non fuere. Ad calcem: *Finis adest vere. pretium vult Scriptor habere.* Praetexta est Codici Membrana, in qua legitur *Diploma Urbani*, putem VI. quo injungitur Archiepiscopo *Salzeburgen.* ut *Johanni* — — ejus Dioecesf. Presbytero provideatur de beneficio proxime vacaturo, cujus Patroni essent Abbas et Conventus *Admontensis* O. S. B. in *Stiria.* Datum est *Janue* — — —.

DCXCVII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 317. f. currente calamo per duas columnas scriptus et Sec. XVI. ad *Wenceslaum Rossam* f. *Rossonem* Sacerdotem *Bohemicum* pertinens complectitur: I. *Themata Sermonum sacrorum* a *Festo Ascensionis* usque ad *Dom.* XXIII. *post Pentecosten.* Initium: *Recumbentibus vndecim discipulis M' vltimo. Legitur quod Aquila habet quatuor virtutes* &c. 264

II. *fol.* 26. sequitur Libellus *de Sex Gradibus penitentie*, qui sunt Contricio, Confessio, Jejunium, Oratio, Eleemosyna et Satisfactio. Incipit: *Fecit Salomon thronum de ebore grandem qui habuit*

sex